



**Antiqvae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

VIII. De monacho sancti Emmerammi, qui in periculis maris eum sibi  
adesse sensit, per beneficia liberatoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

tem sancte Emmeramme, quem omnipotens hoc in signo,  
ut in cæteris, voluit honorare, preces illi pro nobis peccatoribus funde, quo per veram charitatem angelum satanæ  
colafizantem nos possimus auertere.

## IIX.

Erat quidam sub prænominato Angelici nomini Es-  
piscopo beati Emmerammi Monachus, nec non etiam Ecclesiæ custos & æditius, nomine ADALPERTVS. Is locorum Sanctorum desiderio transmarinam aggressus est peregrinationem. Qua Hierosolymam petens & cætera cœlestis thesauri perlustrans ea loci sacrata, millenis aduersitatibus atteritur, terra & mari tentatur, ex ipsis quoq; fauibus mortis patroni sui precibus, frequenter creptus probatur. Quod semel quam euidenti signo factum fuit, relatio ipsius hîc inserta patefacit. Quadam die iter in mare fecimus nauale, pro qua nobis tristem, densitas nubium, collisio fluâtu, spiritus procellarum pepererunt nostrem. Cumq; ventis & vndis hinc inde quassati iactaremur atq; pericula mortem minaretur, peruentum est ad hoc, ut nautæ conclamitarent: Domine nô est. Et nauclerus dicebat tremulus: Defecit. Tum ego miser de profundis ruminans, vita absumptis omnium spebus præ tristitia sum soporatus. In dormiendo autem videbam quasi Domini mei Martyris Emmerammi præ oculis pendere pastoralem virgam, quam vulgo dicunt cambotam vel ferulam. Cuius vncio ad faciem meâ conuerso, sentiens adesse mihi beneficia patroni sepè experti, manu tètabam illi inserere, ut de profundo pelagi post se sic me adhærentem dignaretur extrahere. Tunc certè in ipsa manus porrectione, quam veluti vigilans leuabam, expergefactus vidi noctem die, latis tristia, aeris turbida, serenitate mutata. Ad cuius spectacula exhilaratus mirabar cum mirantibus

Gz tam.

tam subitam & pernicem dextræ excelsi immutationem.  
Nautæ verò viribus resumptis gratias referebant Deo pariter & pro salute nec non miraculi quantitate. Ego autem gratificatus omnium bonorum fonti, quod meritis nostris nequaquam potuit fieri, deputabam patrocinij beatissimi Martyris Emmerammi. Per quem somnia & insomnia, qui non dormit neq; dormitat efficiat nobis innoxia, & concedat posse vigilare ad opera bona.

## IX.

Superiore quidem Capitulo perscripti, quod cucullato & monacho erat consolationi, hoc verò innectere libet quæ sint peruersis timori, ac nihilominus apostatis terrori. Fuit in R ATISBONA homo quidam nomine SIGIBERTVS, lege humana seu conditione liber, sed Christianæ veræq; libertatis indigus & æger. Hunc accepī fantasticis adeo infestatum præstigijs, ut nullatenus dormiens vel vigilans requiem habere posset, nisi se cucullatum apud sanctum Emmerammum fecisset. Quo perpetrato, dæmonum cessauit infestatio, & diuersa maligni impedimenta, Martyris prece sunt sopita. Verum ille miser & infelix post aliquot dies, defensoris oblitus, suggestionibus occultis consensit illius, qui in se apertè dominium perdidit inuitus. Questus ergò pro carnium olla in Ægypto relista & pœnitens quorundam se perpeti penuriam in monasterio, quorum paruam abundantiam falso reliquit in sæculo, monasticum depositum habitum cum illo ludibrio, quod vulgus iam habet in proverbio: Hinc hinc cucullum, non ultra grauabis collum; ob paupertatem monachorum celeriter mihi reuertendum ad lapidem coriorum. Hoc autem dixit, quia prius erat coriarus, seu calceamentorum sutor dolosus. Sed nequaquam diu gausus est se monachis ita illusisse. Nam non multo post maligno spiritui est